Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quomodo inquit fieri potuit istud spatium quod scriptum est. ut quatuor saltem solos elephantos capere potuerit. Et per quam per singulas species hoc modo refragatur, addit super omnia his uerbis. Constat ergo fictam esse fabulam. quod si est: constat non esse hanc a deo scripturam. Sed ad hec nos que a prudentibus uiris et hebraicarum traditionum gnaris. atque a ueteribus magistris didicimus, ad auditorum noticiam deferimus. dicebant ergo maiores quod moyses. qui ut de eo scriptura testatur: omni sapientia egyptiorum fuerat eruditus. secundum artem geometricam. qua precipue egyptii callent, cubitorum numerum in hoc loco posuerit. Apud geometras enim secundum eam rationem que apud eos uirtus uocatur, ex solido et quadrato. uel in sex cubitis unus deputatur: si generaliter: uel in trecentos si minutatim deducatur. Que utique racio si obseruetur in huius arce mensura inuenientur et longitudinis et latitudinis tanta spacia que uere totius mundi reparanda germina, et uniuersarum animantium capere potuerint. Iam hec quantum ad hystorie rationem pertinet aduersus eos dicta sint, qui inpugnare scripturas ueteris testamenti nituntur tamquam inpossibilia quedam et irracionabilia continentes. Nunc uero iam deprecantes eum prius. qui solus potest de lectione ueteris testamenti auferre uelamen: temptemus inquirere quid etiam spiritalis edificationis contineat magnifica hec arce constructio. Puto ergo ut ego pro paruitate sensus mei assequi possum quod illud diluuium quo pene finis tunc datus est mundo, formam teneat finis illius. qui uere futurus est mundi. quo et ipse dominus pronunciauit dicens. Sicut enim in diebus noe emebant uendebant edificabant nubebant et nuptum tradebant et uenit diluuium et perdidit omnes, ita erit aduentus filii hominis. In quo euidenter unam eandemque formam diluuii quod precessit, et finis mundi que uenturum